ACADÉMIE ROYALE DE CHIRURGIE

21

Question

pourquoy certaines tumeurs doivent estre extirpées, et d'autres simplement ouvertes. dans l'une, et dans l'autre de ces operations quels sont les cas ou le cautere est preferable a l'instrument trenchant, et les raisons de preference.

dissertatio

Tumor subjectum est sensuum primo, totus enim oculis patet et manibus antequam animæ sit præsens, ut ad finem ejus ultimum (qui curatio est) perueniatur, theoricâ arte praxis melior sustinenda, alioquin cæcus cæcam duceret manum. tot enim modis uolumen nostri corporis eleuatur contra naturæ leges, et actionum ipsius facilitatem, ut per pauci uarias istius eminentiæ causas euoluere sint potentes. uideri mihi uideor ego nostrorum magistrorum alumnus quærere, scrutari, inuestigare ista naturæ impedimenta, et ea ad trutinam expendere velle. hoc opus hic labor est. instruendus sum: quomodo (nisi illorum auxilio) ne pilum quidem eruditionis habens, tantam molem euoluere, et ambages quæ mihi ueritatis aditum occludunt remouere potero. attamen, cum omnibus tam immensam artis nostræ partem pertractare (quocunque modo potuerint) permittatur. hâc fretus concessione, impauidus rem aggrediar, eruditionem enim inchoat spes, labor improbus sustinet. doctorum colloquium cumulat.

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE

ARC 13
d. 10 n°4
MACÉ

non agitur hic de tumoribus naturalibus, de mediis de universalibus: tum corpus, tum membrum corporis integrum obsidentibus: neque de praeternaturalibus qui resolutione aut delitescentiâ sedem deserunt. sed tantum de illis, quorum materia aliter pelli non potest quam sectione, vel ustione; quae duplex est. a ferro candente una, a causticis altera potentialibus.

Ut pars quaecunque corporis humani in tumorem extra libellam naturae amicam eleuetur, opus est materiâ, quae id circo nomen proximae sibi vindicat causae. illa vel ab intrinsecco nascitur, cachexiâ praecipuè, fonte malorum uberrimo. illa enim liquores alterando, eorum partes sibi invicem unitas ita spargit, ut lente, vel tumultuose, irregulariter et contra mechanicam fluentes, vasa quatiendo ipsamet disrumpant, vel spissitudine ita inglutinent, ut novus liquor nutritius accedens, canalem ruptum, aut in eo fores clausas inveniens, ibi si non diffundatur, sistere cursum cogitur suum: naturam suam mobilem in stagnantem vel spissiorem verti impatiens: omnibus viribus molitur ad percurrenda ea ad quae deputatur loca, partes obstantes rudius quatiendo amplius diffunditur: vel occlusum canalem amplius circumdat, et indurantur simul, tum vas, tum liquor: eminentia crescit. et sic tumor cachexiae pedissequus constans et familiaris sese manifestat.

non hoc solum in naturâ monstrum tumores gignit: sunt et alia plurima, quibus causae extrinsecae ortum dant. contusiones, fracturae, luxationes, vulnera corpora heterogenea intrusa; quae omnia accidentia

ACADÉMIE DE CHIRURGIE G

escharram acus caustici obtundentem: quæ sic obtusa, obtundit acus materiæ tumoris, novosque succos partibus ita compactis retrocedere cogit. unde carnes vicinæ soliditatem recipiunt, fibrarum inde reunio facilior, cum fermenta prava per illum corrigantur.

Carbunculus, bubones, pestilens; venereus: tam attrahendi ad superficiem omnes, quam humores eorum digeri, et ante digestionem aperiri debent. ne serpat venenum, tum propter incoctam et concoquendam materiam, quod nullâ aliâ securiore viâ quam caustico fieri potest. experientia enim docet, primos eschara sublatâ, ulcus simpliciter alexipharmacis et suppuratoriis sanandum relinquere. venereum vero tam non maturum aperiendum, quam non cultello, metu hemorragiæ arteriarum ipsi subjectarum. Cui tantâ medetur virtute causticum quanta in aneurismate aliis inutiliter tentatis vitriolum rupturæ impositum; quod gradatim fundendo leniter labia vulneris consumit arterialis, quæ vise sensim recedunt. ideoque, de die in diem comesta a novo alimento extenduntur, et clauduntur.

In ulceribus etiam cachecticis quorum essentia est corruptio partis solidæ et siccæ, quæ ad statum naturalem reduci non potest, nisi actione medicaminis partem illam erosam novantis, quod operatur Cauterium. et etiam in tumore ab osse carioso nato, cujus mater eadem cacochymia. etiam debet desiccari, os quoque denudari, ut ad curationem perveniatur. hæc omnia bona filii sunt cauterii nostri duplicis. tanta est enim qualitas, tantus valor ferri candentis, teste

8 fabricio hildano. desiccatio quam ab igne elemento accipit ut pars ab eo coarctata roboretur. Cum nimia humiditas partem reddat mollem, ideoque minus aptam suis fonctionibus. fermento enim acido corrosivo in osse inhærenti, tantum de suo motu dat, ut illud evaporare possit eodem modo, quo spiritus vitrioli in distillatione per ignem in altum elevatur, si non omne, pars quæ restat temperatur. ferrum enim egregie resistit acido, ut patet experientiâ vitrioli martis, in cujus operatione multum dulcessit spiritus vitrioli.

Ne prolixiores simus, plurimos alios casus tacebimus qui cauterium magis elevare possent supra cultellum in tumoribus nostris sanandis, cum hyppocrate dicentes malum quod medicamento non curatur, ferro curabitur, si non ferro sanatur, igne sanabitur, si insanatum ab illo relinquatur. insanabile reputandum est.

ACADÉMIE ROYALE DE CHIRURGIE C

21